



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

V. De his qui post poenitentiam vel militiae cingulum, vel noua coniugia,
vel illicitos appetierunt concubitus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

alii puellam alter in matrimonium possit accipere . Hoc gali viola-
tione.
ne fiat omnibus modis inhibemus : quia illa benedictio ,
quam nupturæ sacerdos imponit , apud fideles cuiusdam
sacrilegii instar est , si vlla transgressione violetur .

V.

De his vero non incongrue dilectio tua apostolicam se-
dem credit consulendam , qui acta poenitentia , tam-
33. qu. 1.
De his ve-
ro.
quam canes ac fues ad vomitus pristinos & ad volutabra
redeuntes , & militiae cingulum , & ludicras voluptates , &
noua coniugia , & inhibitos denuo appetiuere concubitus .
Quorum professam incontinentiam , generati post abso-
lutionem filii prodiderunt . De quibus , quia iam suffugium
non habent poenitendi , id diximus decernendum , ut sola
intra ecclesiam fidelibus oratione iungantur , sacræ my-
steriorum celebritati , quamuis non mereantur , intersint :
a dominicae autem mensæ conuiuo segregentur , vt hac
saltem districione correpti , & ipsi in se sua errata casti-
gent , & aliis exemplum tribuant , quatenus ab obscenis
cupiditatibus retrahantur . Quas tamen (quoniam carna-
li fragilitate ceciderunt) viatico munere , cum ad Domi-
num coeperint proficisci , per communionis gratiam vo-
lumus subleuari . Quam formam & circa mulieres , quæ
se post poenitentiam ^b talibus pollutionibus deuinxerunt ,
seruandam esse censemus .

V I.

Præterea monachorum quosdam atque monacha-
rum , abiecto proposito sanctitatis , in tantam protesta-
ris demersos esse lasciviam , vt prius clanculo , velut sub
monasteriorum prætextu , illicita ac sacrilega se conta-
gione miscuerint : postea vero in abruptum conscientiæ
desperatione perducti , de illicitis complexibus libere fi-
lios procrearint , quod & publicæ leges & ecclesiastica
iura condemnant . Has ergo impudicas detestabilesque
personas a monasteriorum cœtu , ecclesiarumque con-
uentibus eliminandas esse mandamus : quatenus retrusæ
in suis ergaftulis , tantum facinus continua lamentatione
deflentes , purificatorio possint poenitutinis igne deco-
quere , vt eis vel ad mortem saltem solius misericordiæ in-
tuitu , per communionis gratiam , possit indulgentia sub-
uenire .

H h ij